



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1858**

XX. Papst Alexander IV. gestattet den Minoriten-Stiften die Zulassung von  
Lectoren nach Vorschrift ihrer Ordensregeln ohne anderweite höhere  
Genehmigung, am 28. März 1257.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

que de presentibus plenam et expressam non fecerint mentionem, in posterum dicti ordinis fratres professos sine prefata licentia in ordinibus vestris aliquatenus admittatis, ac decernentes nihilominus irritum et inane, quicquid per vos contra preceptum et inhibitionem nostram super hoc contigerit attemptari, eadem auctoritate statuimus ut presumes scienter contra huiusmodi preceptum et inhibitionem propria temeritate venire, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua non possint absolui, nisi conspectui sedis apostolice personaliter se presentent, ab ea juxta ipsius providentiam absolventi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani, Non. februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

Nach dem Orig. im archival. Nachlaß des St. Annen-Klosters in Stendal.

XX. Papst Alexander IV. gestattet den Minoriten-Stiften die Zulassung von Lectoren nach  
Vorschrift ihrer Ordensregeln ohne anderweite höhere Genehmigung, am 28. März 1257.

Alexander episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis Generali et ministris provincialibus de aliis fratribus ordinis minorum Salutem et apostolicam benedictionem. Exultante spiritu frequenter advertimus, quod status ecclesie generalis per uestre predicationis ac doctrine salutaris instantiam, diuina gratia suffragante, multipliciter illustratur. Ex hac liquidem pia consideratione procedit, quod nos ad illa omnia esse prompti delectamur et faciles, per que uos precones diuini nominis in declarandi fidei sciencia et roboranda operum disciplina uestri desiderii sanctitatem perficere ualeatis. Hinc est, quod nos deuotioni uestre presentium auctoritate concedimus, ut singuli fratres de ordine uestro, quos secundum constitutiones ipsius ordinis conuentibus uestris deputandos duxeritis in lectores, sine cuiusquam alterius licentia libere in domibus predicti ordinis legere ac docere ualeant in Theologia facultate, illis locis exceptis in quibus uiget studium generale ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus sollempniter incipere consuevit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionis omnipotentis dei et beatorum Petri apostolorum eius se noverint incursum. Datum Laterani, V kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Nach dem Original aus dem Nachlasse des St. Annen-Klosters.